

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (20)

4.8.2.1.2. De Corea

Etiam Corea effectibus primi belli mundani tangebatur, cum illa civitas illo tempore fuisset provincia Iaponica et Iaponia cum rebus publicis contra Germaniam associatis foedere coniuncta die 23^o m. Aug. a. 1914^o Germaniae bellum indixisset.¹ Itaque Germani quōque, qui in Coreā versabantur, officialiter pertinebant ad «extraneos hostiles», quae condicio etiam spectabat ad Benedictinos Ottilianos. Tamen in Coreā res omnino aliter se habebant ac exempli gratiā in Africā orientali, quae erat colonia Germanica. Quā de causā praeter alia in Coreā - aliter ac in Africā - nullae actiones bellicae locum habebant.

Nihilominus missionarii problemata varii generis habebant, quae ex ipsā condicione politicā atque ex decretis administrationis Iaponicae exorta sunt. Difficultas iam exorta est, cum bello imminente quinque Fratres conversi, id est Fr. Ianuarius Schrötter, Fr. Paschalis Fangauer, Fr. Eugenius Ostermaier, Fr. Theophilus [*Gottlieb*] Auer et Fr. Ildefonsus Flötzinger, ad milites vocati sunt, ut in Sinico oppido Tsingtau defendendo, ubi stativa militaria Germanica erant, adessent.² Sed inter illos erant duo magistri lignarii et utrumque amittere Benedictinorum scholae opificum erudiendorum et itaque oeconomiae quōque monasterii fuisset calamitas. Contigit autem condicione explicatā difficulter quidem efficere, ut saltem F.ri Ildefonso remanere liceret. Tamen etiam illi quattuor fratres reliqui proximis annis in monasterio Seulensi deerant.³

¹ Germaniae consul generalis Dr Krüger die 26^o m. Aug. a. 1914^o Coream reliquit.

² *Cfr* Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser. I. St. Ottilien 2009, p. 194; Godfrey SIEBER: Bonifaz Sauer (1877-1950), Abt und Bischof in Korea (1921-1950). *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 352; Frumentius RENNERT: Missionstätigkeit in Korea und China. Eine Rückschau. *In*: Der fünfarmige Leuchter. IV. St. Ottilien 1993, p. 129; Cyrillus WEHRMEISTER: Die Entwicklung der Erzabtei und der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. *In*: Lumen Caecis. St. Ottilien (1928), p. 167; Cyrillus WEHRMEISTER: Die Benediktinermissionäre von St. Ottilien. St. Ottilien 1939, p. 101.

³ Oppido Tsingtau mense Nov. a. 1914ⁱ ab Iaponibus superato omnes Germani in captivitate abducti sunt, etiam Fratres Benedictini, qui denique mense Ianuario a. 1920ⁱ in urbem Seulum reverti potuerunt. Tantummodo Fr. Eugenius Ostermaier iam ex oppido Tsingtau aufugere et mense Decembri a. 1914ⁱ ad monasterium Seulense

Generaliter autem abbatiae Seulensis condicio interna externaque - imprimis in initio belli - erat satis tranquilla.⁴ Hōc certe etiam cohaerebat cum se gerendi modo regiminis Coreani, quia ex. gr. gubernator generalis Iapo promississe videbatur se Germanos, quantum fieri potuit, protecturum esse, ne periculum vitae atque bonorum paterentur.

Nihilominus satis celeriter coercitiones quaedam Germanis ab Iaponibus impositae sunt. Iam inde ab mense Septembri a. 1914ⁱ libere per regionem vehi non iam licuit. Itaque in antecessum annuntiandum erat, si quis solam unam noctem extra habitationem suam versari in animo habuit, et unumquodque iter ferriviarium antea apud aediles indicandum erat.⁵ Praeterea

revenire valuit. Idem autem Iaponibus aedilibus militaribus se dedere debuisset, sed illi, quamquam rem sciverant, F.rem Eugenium in monasterio tranquille operari siverunt. - *Cfr* Bonifaz SAUER: Unsere Abtei in Korea während des Krieges. *In*: Missionsblätter 24, 1919/20, p. 131; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser. I (2009), p. 196; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht der Abtei St. Benedikt in Seoul, ihrer Verlegung nach Tokwon und Tätigkeit der Benediktiner im Apost. Vikariat Wonsan. *In*: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab. 60 Jahre Benediktinermission in Korea und in der Mandschurei. Münsterschwarzach 1973, p. 85. - Cyrillus WEHRMEISTER: Entwicklung (1928), p. 167; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 101 scribit sortem Fratrum captivorum non fuisse nimis duram. Fortasse est quaestio relativa, tamen sententiā suā satis euphemicā non respicit condiciones captivitatis per se non esse opportunas desiderabilesque. Idem autem denique anno 1920^o in monasterium Seulense reverti potuerunt.

⁴ *Cfr* Bonifaz SAUER: Abtei in Korea. *In*: Missionsblätter 24, 1919/20, p. 131; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser. I (2009), p. 196, qui verba, quae ex epistolā Bonifatii Sauer die 31^o m. Aug. a. 1914^o ad Norbertum Weber directā depromptā sunt, affert. - *Cfr* Joseph SCHMIDLIN: Die Missionen im gegenwärtigen Weltkrieg. *In*: Zeitschrift für Missionswissenschaft 6, 1916, pp. 72, 100, 249; Cyrillus WEHRMEISTER: Entwicklung (1928), p. 167; Cyrillus WEHRMEISTER: Benediktinermissionäre (1939), p. 101; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. *In*: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 87.

⁵ *Cfr* Bonifatius SAUER: Abtei in Corea. *In*: Missionsblätter 24, 1919/20, p. 132; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser. I (2009), p. 199. - Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. *In*: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), pp. 85 sqq., quibus paginis agitur de condicionibus abbatiae Seulensis inter primum bellum mundanum, neque hōc decretum neque problemata scholastica commemorat. Sed eidem alicuius momenti est referre Patribus Benedictinis tempore belli stationes, quas Francogalli ad milites vocati relinquere coacti erant, curare non permissum esse, quia clerici Francogalli hōc omnino noluisent. Res verisimiliter partim sic se habuerunt, sed in hōc argumento negligitur, quod attinet ad temporis spatium belli, etiam Benedictinis itinera, quibus ad stationes pervenirent atque ibi remanerent, facere non ita licuisse.

commercium epistulare quadamtenus restrictum erat censurā adhibitā.⁶ Itaque coniunctio cum patriā magnā ex parte intercludebatur, quia non solum epistulae vix mitti atque accipi potuerunt, sed etiam novis missionariis Germanis Coream intrare non iam licuit. Nihilominus Benedictini Germani de rebus in Germaniā gestis deque statū belli satis bene certiores facti sunt actis diurnis sive Coreanis sive ex Americā allatis.⁷

Tamen maioris momenti erat, quod mense Decembri a. 1914ⁱ⁸ Benedictini ab administratione Iaponicā admonebantur, ut scholam suam opificum clauderent.⁹ In ipsis opificinis operari pergere nihilominus eis licuisset. Sed cum haec schola illo tempore esset fundamentum Ottilianorum missionis Coreanae, propter quam praeter alia etiam illuc vocati erant, abbas Bonifatius Sauer, ut scholam servaret, aliam viam ingressus est. Nam episcopum Gustavum Mutel Francogallum adiit eumque rogavit, ut īdem hōc institutum sub nomine suo susciperet.¹⁰ Et ipse episcopus huic rei assensus est et administratio quōque Iaponica huic modo progrediendi annuit. Officialiter ergo Ottiliana schola opificum deinde erat institutum Francogallicum.

Etiam hic eventus - praeter multa alia - est signum, quo manifestatur bonam coniunctionem, quin etiam amicitiam quandam inter abbatem Bonifatium Sauer et episcopum Gustavum Mutel illō quōque tempore, quo Germania et Francogallia bellum inter se gesserunt, firmiter permansisse.¹¹ Exemplum quoddam huius coniunctionis bonae etiam in eo est, quod Bonifatius Sauer

⁶ Tamen effectus huius modi agendi non tam vehemens erat quam in Africā orientali.

⁷ *Cfr* Bonifaz SAUER: Abtei in Korea. *In*: Missionsblätter 24, 1919/20, p. 134.

⁸ Hōc videtur factum esse paucis diebus postquam oppidum Tsingtau ab Iaponibus occupatum est.

⁹ *Cfr* Bonifaz SAUER: Abtei in Korea. *In*: Missionsblätter 24, 1919/20, p. 133; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser. I (2009), pp. 199 sq. - Bonifaz Sauer in relatione, quam die 27^o m. Oct. a. 1928^o de initiis atque progressū abbatiae Seulensis scripserat (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a), p. 2 hanc rem solum obiter tangit.

¹⁰ *Cfr* Bonifaz SAUER: Abtei in Korea. *In*: Missionsblätter 24, 1919/20, p. 133; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser. I (2009), pp. 199 sq.

¹¹ Bonifatius SAUER: Abtei in Korea. *In*: Missionsblätter 24, 1919/20, p. 132 scripsit multos Iapones miratos esse, quod Benedictini cum episcopo aliisque patribus Francogallis, quamvis esset bellum, commercium tam amicale adhuc haberent. Sed ipsos Iapones etiam optime distinguere valuisse inter inimicitiam nationalem et commercium personale. - Haec bona coniunctio Bonifatii Sauer cum Gustavo Mutel etiam apparet ex diario episcopi, ex quo multos locos depromptos affert Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser. I (2009), pp. 199 sqq.



*Suggestus contionatorius
in ecclesiā cathedrali Seulensis constitutus.
[Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser. I
(2009), p. 203.]*

in Benedictinā scholā opificum perpulchrum suggestum contionatorium ex ligno sculpendum curavit,¹² quem confectum anno 1915° episcopo Gustavo Mutel donavit atque in Seulensi ecclesiā cathedrali constituendum curavit.¹³

Die 16° m. Aug. a. 1915° praeterea edictum quoddam religionis divulgatum est, quo omnes religiones, quae in Coreā plus minusve in usū erant, satis acri custodiae statali subiectae sunt.¹⁴ Quo edicto etiam iura interna ecclesiae catholicae, quod attinet ad docentiam atque disciplinam, tacta atque laesa fuissent.¹⁵

Opera ergo Benedictinorum aliquatenus continuari potuerunt. Sed etiamsi problema, quod ad meram existentiam scholae opificum spectabat, auxilio episcopi solutum erat, tamen amplificatio huius instituti, de quā Bonifatius Sauer iam cogitaverat, ad effectum adduci non potuit, immo decursū annorum belli numerus discipulorum minui debuit.¹⁶ Nam unā ex parte statim in initio belli omnes novi discipuli (numero

¹² Photographēma huius suggestūs hic exhibitum iam in relatione Bonifatii SAUER: Abtei in Korea. *In*: Missionsblätter 24, 1919/20, p. 162 divulgatum est.

¹³ *Cfr* Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser. I (2009), pp. 202 sqq.; Bonifaz SAUER: Abtei in Korea. *In*: Missionsblätter 24, 1919/20, p. 134, ubi etiam commemorat eodem anno pulchra stalla quōque ecclesiae cathedrali destinata esse confecta.

¹⁴ *Cfr* Bonifaz SAUER: Abtei in Korea. *In*: Missionsblätter 24, 1919/20, pp. 135 sq.; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser. I (2009), pp. 204 sq.

¹⁵ Episcopis intervenientibus eis respondebatur hōc edictum, id est specialiter illam partem, non ad religiones Christianas spectare, sed potius ad sectas Buddhisticas.

¹⁶ *Cfr* Bonifaz SAUER: Abtei in Korea. *In*: Missionsblätter 24, 1919/20, pp. 133, 138, 159; Relatio Bonifatii Sauer die 27° m. Oct. a. 1928° scripta, p. 2 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a); Joseph SCHMIDLIN: Die Missionen im gegenwärtigen Weltkrieg. *In*: Zeitschrift für Missionswissenschaft 6, 1916, pp. 72, 160, 249; Frumentius RENNERT: Missionstätigkeit in Korea. *In*: Leuchter IV (1993), p. 129; Beda DANZER: Die

septuaginta), quibus aditus ad scholam iam concessus erat, iterum dimittendi erant, quia fratribus ad milites vocatis satis multi magistri non aderant. Alterā ex parte decursū temporis bellici pecunia Benedictinis magis magisque deficiebat, ita ut neque satis materias ad institutionem necessarias emere neque cibos sufficientes ad discipulos alendos acquirere valerent.

Quaestio autem pecuniaria generaliter erat magnum problema.¹⁷ Nam unā ex parte decretis internationalibus atque nationalibus anno 1916^o ius Germanis demptum est, quo in rebus publicis consociatis actiones pecuniarias transigerent, et anno 1917^o edictum Iaponicum constitutum est, quo extraneis hostilibus negotiatio in Iaponiā eiusque provinciis vetita est atque pecunia mensualiter accepta erogataque acri inspectioni statali subiecta est. Quid hōc significaverit, omnes facile imaginari possunt. Ad haec insuper accessit, ut pretia omnium rerum decursū temporis maxime aucta sunt.¹⁸ Hanc vero conditionem etiam Coreani passi sunt.

Itaque etiam Benedictini Ottiliani magnis in angustiis pecuniariis versabantur, quia eis non solum de communitate propriā, sed etiam de discipulis cogitandum erat. Cum contactus cum aliis rebus publicis magnā ex parte seclusus esset et cum aliae possibilitates pecuniae acquirendae propter decreta supra commemorata vix praeberentur, episcopus Gustavus Mutel auxilium quoddam ferre conatus est.¹⁹

Aliud emolumentum quoddam erat in eo, quod archiabbas Norbertus Weber solutionem difficultatum Coreanarum quaesivit. Ipse autem nullam pecuniam habuit, quam dare valuit, cum archiabbatia Ottiliensis quōque angustiis pecuniariis laboraret. Sed viam quandam invēnit bene sciens sibi ipsi difficultates inde exoriri. Cogitavit enim de pecuniā, quam Congregatio

Benediktinerregel in Übersee. St. Ottilien 1929, p. 37; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser. I (2009), pp. 207 sqq.

¹⁷ Cfr Bonifaz SAUER: Abtei in Korea. In: Missionsblätter 24, 1919/20, pp. 136 sqq.; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser. I (2009), pp. 207 sqq.; Joseph SCHMIDLIN: Die Missionen im gegenwärtigen Weltkrieg. In: Zeitschrift für Missionswissenschaft 6, 1916, p. 160; Frumentius RENNER: Missionstätigkeit in Korea. In: Leuchter IV (1993), p. 130; Beda DANZER: Benediktinerregel (1929), p. 37.

¹⁸ Bonifaz SAUER: Abtei in Korea. In: Missionsblätter 24, 1919/20, pp. 136, 138, 163, ubi etiam exempla affert atque veram egestatem operariorum Coreanorum commemorat.

¹⁹ Cfr Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser. I (2009), pp. 208 sq. - Ut Frumentius RENNER: Missionstätigkeit in Korea. In: Leuchter IV (1993), p. 130 adnotat, abbatia Seulensis auxilium etiam accepit ab divite viro Sino, qui Christianus erat.

Otiliensis pro missione Africanā acceperat et quam partim missioni Coreanae tradere voluit.²⁰ Tamen propositum suum non ad effectum adduxit, antequam permissionem Congregationis de Propaganda Fide officialiter accepit, quae die 31^o m. Iul. a. 1918^o ei data est.²¹ Hunc ergo in modum pars problematum in abbatia Seulensi vigentium mitigari potuit. Sed cum hanc rem comperiret, episcopus Thomas Spreiter - ut exspectandum erat - valde vehementerque stomachatus est.²²

²⁰ Iam mense Maio a. 1918ⁱ Norbertus Weber Abbati Primati Fideli von Stotzingen deliberationem suam communicavit. Scripsit enim se egestate abbatiae Coreanae valde premi et interrogavit, num fieri posset, ut tertiam partem pecuniae, quae pro missione Africanā allata est, ad missionem Coreanam sustentandam adhiberet. Se enim putare illos, qui pecuniam darent, non specialiter de Africā, sed generaliter de missione ipsā cogitare. Affirmavit autem Norbertus Weber iam hōc locō se sine permissione Sanctae Sedis hac in re nihil facturum esse et insuper agi de pecuniā iam allatā, non de pecuniā futurā. - *Cfr* epistula Norberti Weber die 25 m. Maii a. 1918 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1.Asien).

²¹ *Cfr* Johannes MAHR: *Aufgehobene Häuser*. I (2009), p. 209.

²² Epistolā die 31 m. Mart. a. 1922 ad Norbertum Weber datā (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5) Thomas Spreiter archiabbati multa opprobria eaque vehementia propter pecuniam in Coream missam dat. Nam unā ex parte secundum opinionem Thomae Spreiter non erat necessarium, ut pecunia Africae destinata ad auxilium Coreae ferendum sumeretur, cum illo tempore archiabbatia variis ex causis quoad pecuniam satis bene constituta fuisset. Sed maior invecio est in eo, quod Thomas Spreiter dixit Norbertum Weber, cum pecuniam in Coream transtulisset, iura sua transgressum esse. Nam supremum dominium tali in re esse apud Congregationem de Propaganda Fide, non apud superiorem generalem. Valde autem stomachatus est Thomas Spreiter, quod Superiores missionis Africae hac in re omnino neglecti essent. Missionem Africae orientalis hōc modō progrediendi magno damno affectam esse, id quod exortum esset ex falso amore archiabbatis erga missionem Coreanam. Postulavit vero episcopus, ut pecunia missioni suae redderetur. Tamen opprobria sua continuavit scribens causas fundamentales totius rei esse in eo, quod Norbertus Weber perceptionem nimis magnam de potestate superioris generalis haberet, et eum propter timiditatem ipsi innatam vereri, ne ipsi contradiceretur, eumque etiam contradictionem accipere nolle.

Cum autem Thomas Spreiter de «supremo dominio» Congregationis de Propaganda Fide scriberet, videtur nescivisse (vel scire noluisse) eandem Congregationem antea interrogatam esse atque modum progrediendi expressis verbis comprobavisse.

Itaque mirandum est Norbertum Weber in responso suo die 8 m. Iun. a. 1922 ad Thomam Spreiter dato (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.5) licentiam Congregationis de Propaganda Fide ad se iustificandum nullo verbo commemoravisse, sed eum solum scripsisse se ad opprobria respondere nolle, etiamsi tacendo eadem non agnosceret. Nihilominus ad animum episcopi pacandum respondit quōque rem

Etiamsi talia adiumenta interdum ei allata sunt, abbas Bonifatius Sauer decursū temporis bellici tamen aes alienum contrahere coactus erat,²³ quae pecunia denique aliquando iterum reddenda erat.

Monachi Ottiliani in abbatiā Seulensi - ut apparuit - tempore belli ab officialibus non nimis molestati sunt. Opera sua plus minusve continuare potuerunt. Sed hōc imprimis spectabat ad Fratres conversos atque opificia. Patres autem, qui aliquatenus in munere animarum curandarum impediti erant, sive apes coluerunt sive lexica librosque grammaticales linguae Coreanae composuerunt sive unā cum Fratribus opificio peritis conati sunt «bibliothecam opificum» exarare, id est pro unoquoque opificio libellus quidam linguā Coreanā conscriptus provisus erat.²⁴ Tranquille quidem res utiles fecerunt, sed aliquatenus se receperant, quia condicionibus bellicis vigentibus non nimis conspicui esse voluerunt, ne revera difficultates exorirentur. Quamvis hic status non esset pessimus, tamen monachi Ottiliani interdum putaverunt tranquillitatem esse nimiam, cum viderent tot labores in regione missionariā esse faciendos.²⁵

Bello mundano finito impetus populi quōque Coreani, quo libertatem independentiamque politicam sibi acquirere voluit, denuo alebatur. Itaque occasione sepulturae ultimi imperatoris Coreae Kojong Kal. Mart. a. 1919^o magna

ordinatam esse, cum ipso rogante archiabbatia decem milia Francorum Helveticorum in Zululandiam mitteret, reliquam partem pecuniae Bonifatium Sauer redditurum esse.

²³ Aes alienum etiam commemorat Bonifatius SAUER: Abtei in Korea. In: Missionsblätter 24, 1919/20, p. 104. - In epistulā Bonifatii Sauer die 15 m. Ian. a. 1920 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.19) idem episcopo de aere alieno narravit, quod inter bellum - ut scripsit - contraxisset pro certo habens se aliquid ex Germaniā et ex Americā Septentrionali accepturum esse, quae tamen spes in irritum cecidisset. - Thomas Spreiter in responso suo die 20 m. Iul. a. 1920 dato (ASO, Zentralarchiv: Archiv Inkamana, Z.3.0.1.19) affirmavit se condicionem pecuniariam Bonifatii Sauer bene intellegere et se tali condicione commoveri. Tamen tali commotione non impeditus est, quominus propter pecuniam sibi «subtractam» postea indicibiliter stomacharetur.

²⁴ *Cfr* Bonifaz SAUER: Abtei in Corea. In: Missionsblätter 24, 1919/20, p. 159; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser. I (2009), p. 210.

²⁵ *Cfr* Bonifaz SAUER: Abtei in Korea. In: Missionsblätter 24, 1919/20, p. 159: «*Tamen magis magisque sensimus esse vere durum, revera tranquille sedere atque expectare et semper tantummodo se praeparare debere, cum ubique tot et multa quidem in re missionariā facienda restare.*» - Textus originaliter Theodiscus. Revera indigentia sacerdotum erat satis magna, cum multi Patres Francogalli ad militiam vocati essent.

seditio in initio pacifica exorta est, quae in urbibus incohata celeriter per totam regionem diffusa est.²⁶ Sed res non mansit pacifica, quia Iapones aediles militesque seditionem satis crudeliter suppressere conati sunt.²⁷

Ottiliani Seulenses hōc conamine eversionis quadamtenus tacti erant. Nam in pugnā suā independentiae seditiosi scilicet concives variis modis attrahere conati sunt. Itaque etiam discipuli Ottilianae scholae opificum ad participandum instigati et interdum etiam minis affecti sunt, ut participes seditionis fierent. Etiam ipsa abbatia minas percepisse videtur, quibus agebatur de monasterio deque opificinis incendendis, nisi discipuli scholae monasterialis se seditioni adiungerent vel saltem schola opificum clauderetur.²⁸ Sed neque id neque hōc factum est, et etiam nullum incendium excitatum est. Missionarii autem in illas res politicas officialiter se non immiscuerunt,²⁹ cum revera partes politicas agere in rebus publicis praesertim alienis eis non liceret.

Sub fine anni 1919ⁱ restrictiones, quibus Germani et itaque etiam Ottiliani subiecti erant, sublevabantur. Eā de causā monachi labores suos iterum suscipere potuerunt, qui tempore belli sive intermissi sive suppressi erant. Sed tunc paulatim aliae quaestiones exortae sunt, quae aliquatenus urgenter solvendae erant.³⁰

²⁶ *Cfr* ex. gr. Wolf D. v. BARLOEWEN (ed.): *Abriss der Geschichte außereuropäischer Kulturen. II. Nord- und Innerasien, China, Korea, Japan.* München / Wien 1964, pp. 236 sq.; Andrew C. NAHM: *Korea. Tradition and Transformation. A History of the Korean People.* Seoul 1988, pp. 262 sqq.; Marion EGGERT / Jörg PLASSEN: *Kleine Geschichte Koreas.* München 2005, pp. 137 sqq.; Eun-Jeung LEE: *Historische Entwicklung Koreas.* In: Thomas KERN / Patrick KÖLLNER (edd.): *Südkorea und Nordkorea. Einführung in Geschichte, Politik, Wirtschaft und Gesellschaft.* Frankfurt/M. / New York 2005, pp. 44 sq.; Gottfried-Karl KINDERMANN: *Der Aufstieg Koreas in der Weltpolitik. Von der Landesöffnung bis zur Gegenwart.* München 2005, pp. 64 sqq.

²⁷ Mense Aprili a. 1919ⁱ delegati provinciarum Coreanarum unā cum profugis constitutionem rei publicae Coreanae exaraverunt et in urbe Sanghaevo [*Shanghai*] régimen provisorium rei publicae Coreanae instituerunt. Tamen in fine totum conamen in irritum cecidit. Nihilominus propter eventūs Coreae gubernator generalis usque tunc regens Hasegawa Iapo ex munere amotus est, cuius locum suscepit Saitō Makoto Iapo, qui magis moderatus fuisse dicitur.

²⁸ *Cfr* Bonifaz SAUER: *Kloster in Korea.* In: *Missionsblätter* 24, 1919/20, pp. 162 sq.; Johannes MAHR: *Aufgehobene Häuser. I* (2009), pp. 224 sqq.

²⁹ Ex verbis Bonifatii Sauer apparet eum ipsum spiritum temporis, ex quo ne pestis bolscevistica religioni quōque periculosa exoriretur, timuit, non nimis aestimavisse.

³⁰ De his rebus *cfr* infra.

4.8.2.2. *De condicionibus monasterii domestici*

Primo bello mundano finito condiciones in Ottiliensi quōque monasterio domestico non statim atque per se stabiliebantur. Nam unā ex parte inter ipsum bellum multa cursum normalem regularemque non habebant, alterā ex parte multi monachi, imprimis Fratres conversi, in bello erant milites, deinde magna pars eorum in captivitate spatium temporis quoddam degebat. Illi, qui in monasterium reverterunt, iterum huic generi vitae assuefieri debuerunt, id quod interdum non ita facile erat. Etiam quaedam mutationes cogitandi, quae cum spiritū quōque temporis, qui dicitur, cohaerebant, ad monasterium pervēnērunt, quibus nonnullae difficultates internae exortae sunt, quae effectum interdum ad régimen quōque archiabbatiae exseruerunt.³¹

Sed in fine anni 1918ⁱ et imprimis anno 1919^o perturbationes extrinsecus ad archiabbatiam allatae sunt, quae cum politicis condicionibus vigentibus artē cohaerebant. Nam iam sub fine belli mundani, cum clades Germaniae iam provideri posset et cum ipse populus magnā inopiā laboraret, quia magistratūs victum aliasque res necessarias non sufficienter suppeditabant, eversio Novembris, quae dicitur, initium ex seditione nautarum sumens totā in Germaniā exorta est. Etiam in Bavariā haec motio magnum effectum exseruit.³² Nam die 7^o m. Nov. a. 1918^o in Monacensi prato Theresiano magna

³¹ De talibus quaestionibus *cf.* capitulum proximum.

³² Hic conspectus rerum eventuumque est satis brevis et eā de causā praebet, ut conexus aliquatenus intellegatur. De explicationibus amplioribus diligentioribusque *cf.* ex. gr. Hans BEYER: Von der Novemberrevolution zur Räterepublik in München. Berlin 1957, pp. 1 sqq.; Helmut NEUBAUER: München und Moskau 1918/19. Zur Geschichte der Rätebewegung in Bayern. München 1958, pp. 12 sqq.; Allan MITCHELL: Revolution in Bavaria 1918-1919. The Eisner Regime and the Soviet Republic. Princeton 1965, pp. 3 sqq.; Helmut NEUBAUER: München 1918/19. *In:* Tankred DORST / Helmut NEUBAUER (edd.): Die Münchner Räterepublik. Frankfurt/M 1966, pp. 171 sqq.; Karl Ludwig AY: Die Entstehung einer Revolution. Die Volksstimmung in Bayern während des Ersten Weltkriegs. Berlin 1968, pp. 156 sqq.; Karl BOSL: Die Revolution 1918 in Bayern. Umbruch - Neuanfang - Frustration - Modell. *In:* Karl BOSL (ed.): Bayern im Umbruch. Die Revolution von 1918, ihre Voraussetzungen, ihr Verlauf und ihre Folgen. München / Wien 1969, pp. 1 sqq.; Peter KRITZER: Die SPD in der bayerischen Revolution von 1918. *In:* Karl BOSL (ed.) (1969), pp. 427 sqq.; Heinrich HILLMAYR: Roter und Weißer Terror in Bayern nach 1918. München 1974, pp. 18 sqq.; Sebastian HAFFNER: Die deutsche Revolution 1918/19. Berlin 1979, pp. 27 sqq.; Ralf HÖLLER: Der Anfang, der ein Ende war. Die Revolution in Bayern 1918/19. Berlin 1998, pp. 25 sqq.; Martin H. GEYER: Verkehrte Welt. Revolution, Inflation und Moderne. Göttingen 1998, pp. 50 sqq.



*Curtius Eisner (a sinistris)
et Erhardus Auer.*
[Ralf HÖLLER (1998), p. 160,4]

protestatio popularis facta est. Nocte insequente Curtius [Kurt] Eisner, qui erat dux politicae factionis socialis democraticae independentis,³³ liberam rem publicam popularem Bavaricam proclamavit, quo facto etiam Bavaricae rex Ludovicus III deponebatur.³⁴ Deinde Curtius Eisner ab consilio operariorum, agricolarum militumque recenter condito administrator primarius rei publicae Bavaricae electus est, cuius régime tamen sodales politicae factionis socialis democraticae participaverunt. Sed etiam aliis in oppidis Bavaricis talia consilia operariorum agricolarumque instituebantur. - Die 12^o m. Ian. a. 1919^o electiones ad Bavaricum coetum nationalem constituendum factae sunt, quibus politica factio socialis democratica independentis, quae «rei publicae consiliariorum»³⁵

maxime favit, repulsam accepit. Cum Curtius Eisner die 21^o m. Febr. a. 1919^o in eo esset, ut munus administri primarii deponeret, idem in viā ad parlamentum regionale ab Antonio Comite de Arco-Valley, qui ad extremas partes politicas dexteras pertinebat, interfectus est. Inde in parlamento tumultūs exorti sunt et non solum ipsa sessio, sed etiam constitutio parlamenti procrastinabatur. Pluribus perturbationibus interea factis denique die 17^o m. Mart. a. 1919^o Iohannes Hoffmann, qui ad politicam factionem sociale democraticam pertinebat et qui democratiae pluralisticae parlamentariaeque favit, administrator primarius electus est. Sed condiciones tranquilliores non sunt redditae. Nam die 6^o m. Apr. a. 1919^o delegati variarum factionum Monaci congregati



Johannes Hoffmann.
[Ralf HÖLLER (1998),
p. 160,7]

³³ *Unabhängige Sozialdemokratische Partei Deutschlands* (USPD). - Haec factio politica ab factione sociali democraticā (SPD / MSPD) se separaverat, quia eiusdem sodales scopos magis socialisticos habebant.

³⁴ Ludovicus III erat primus monarcharum Germaniae, qui illo tempore munus deponere coactus est.

³⁵ «Räterepublik».

«Bavaricam rem publicam consiliariorum» proclamaverunt, cuius duces facti sunt Ernestus Toller, Gustavus Landauer, Ericus Mühsam. Iohannes Hoffmann cum regimine electo Bambergam aufugit ibidem sedem regiminis instituens.³⁶ Die autem 13^o m. Apr. a. 1919^o nonnulli, qui regimen legitimum tueri voluerunt, conamen eversionis contra «rem publicam consiliariorum» exhibuerunt, quod in irritum cecidit et cuius effectus contrarius erat in eo, quod consilia operariorum militumque «rem publicam consiliariorum communisticam» proclamaverunt, quā secundum exemplum Russicum «dictatura



*Protestatio popularis et «exercitus ruber»
in viis Monacensibus.*

[Hans BEYER (1957), p. 112,2.]

proletariatū» efficeretur. Praeterea «exercitus ruber» ad illam rem publicam defendendam conditus est. Hunc in modum paulatim bellum quoddam civile exoriebatur. Interea autem régime Bambergense, cui Iohannes Hoffmann praeerat, copias voluntarias (quae etiam «copiae albae» appellabantur) acquisiverat, quae finem Bavaricae rei publicae communisticae facerent et quibus ordo legalis restitueretur. Iam inde ex initio mensis Aprilis a. 1919ⁱ illae copiae voluntariae ante urbem Monacum versabantur cum «exercitu rubro» pugnantes. Denique Kal. Maiis a. 1919^o «copiae albae» Monacum circumcluserunt atque proximo die urbem prorsus expugnaverunt. Quo modo in Bavariā finis «rei publicae consiliariorum» factus est. Decrusū autem eventuum multi cives utriusque partis victimae facti sunt et «exercitū rubri» et «copiarum albarum». Inde ex die 15^o m. Aug. a. 1919^o «constitutio Bambergensis», quae dicitur, valere coepit.

proletariatū» efficeretur. Praeterea «exercitus ruber» ad illam rem publicam defendendam conditus est. Hunc in modum paulatim bellum quoddam civile exoriebatur. Interea autem régime Bambergense, cui Iohannes Hoffmann praeerat, copias voluntarias (quae etiam «copiae albae» appellabantur) acquisiverat, quae finem Bavaricae rei publicae communisticae facerent et quibus ordo legalis restitueretur. Iam inde ex initio mensis Aprilis a. 1919ⁱ illae copiae voluntariae ante urbem Monacum versabantur cum «exercitu rubro» pugnantes. Denique Kal. Maiis a. 1919^o «copiae albae» Monacum circumcluserunt atque proximo die urbem prorsus expugnaverunt. Quo modo in Bavariā finis «rei publicae consiliariorum» factus est. Decrusū autem eventuum multi cives utriusque partis victimae facti sunt et «exercitū rubri» et «copiarum albarum». Inde ex die 15^o m. Aug. a. 1919^o «constitutio Bambergensis», quae dicitur, valere coepit.

proletariatū» efficeretur. Praeterea «exercitus ruber» ad illam rem publicam defendendam conditus est. Hunc in modum paulatim bellum quoddam civile exoriebatur. Interea autem régime Bambergense, cui Iohannes Hoffmann praeerat, copias voluntarias (quae etiam «copiae albae» appellabantur) acquisiverat, quae finem Bavaricae rei publicae communisticae facerent et quibus ordo legalis restitueretur. Iam inde ex initio mensis Aprilis a. 1919ⁱ illae copiae voluntariae ante urbem Monacum versabantur cum «exercitu rubro» pugnantes. Denique Kal. Maiis a. 1919^o «copiae albae» Monacum circumcluserunt atque proximo die urbem prorsus expugnaverunt. Quo modo in Bavariā finis «rei publicae consiliariorum» factus est. Decrusū autem eventuum multi cives utriusque partis victimae facti sunt et «exercitū rubri» et «copiarum albarum». Inde ex die 15^o m. Aug. a. 1919^o «constitutio Bambergensis», quae dicitur, valere coepit.



Copiae voluntariae «albae» Virdodunenses.
[Sebastian HAFFNER (1979), p. 128,17.]*

proletariatū» efficeretur. Praeterea «exercitus ruber» ad illam rem publicam defendendam conditus est. Hunc in modum paulatim bellum quoddam civile exoriebatur. Interea autem régime Bambergense, cui Iohannes Hoffmann praeerat, copias voluntarias (quae etiam «copiae albae» appellabantur) acquisiverat, quae finem Bavaricae rei publicae communisticae facerent et quibus ordo legalis restitueretur. Iam inde ex initio mensis Aprilis a. 1919ⁱ illae copiae voluntariae ante urbem Monacum versabantur cum «exercitu rubro» pugnantes. Denique Kal. Maiis a. 1919^o «copiae albae» Monacum circumcluserunt atque proximo die urbem prorsus expugnaverunt. Quo modo in Bavariā finis «rei publicae consiliariorum» factus est. Decrusū autem eventuum multi cives utriusque partis victimae facti sunt et «exercitū rubri» et «copiarum albarum». Inde ex die 15^o m. Aug. a. 1919^o «constitutio Bambergensis», quae dicitur, valere coepit.

³⁶ Bambergae usque ad diem 16^{um} m. Aug. a. 1919^o sedes regiminis Bavarici mansit.

*) Virdoduna: *Werdenfels*.

Illis vero mensibus totā in Bavariā tumultūs, contentiones inter factiones, concursūs rebellantium fiebant et ubique timores vigeabant. His condicionibus scilicet etiam archiabbatia Ottiliensis affecta erat. Cum manifestum esset clericos religiososque non ad socialistas pertinere et ab politicis factionibus sinistris non nimis amari, Ottiliani quōque timere coeperunt, ne ipsis periculum immineret. Itaque iam inde ex medio mense Decembri a. 1918ⁱ in conventū monachorum consultationes initae sunt, quid in casū necessitatis ad monasterium defendendum faciendum esset.³⁷ Sed illo tempore ad conclusiones definitivas nondum pervēnerunt, etiamsi plerique minationem quandam exstare sēnsērunt.³⁸ Tamen die 24^o m. Febr. a. 1919^o nonnulli monachi, qui ipsi milites fuerant, «militiam civilem» condiderunt,³⁹ ut archiabbatiam ab populatione aliquando imminente defenderent.

Sed metus Ottilianorum non erat sine ullā causā, ut ex eventibus circumcirca actis apparuit. Significans monachis Ottiliensibus erat eventus, quo deinde ipsi quōque aliquō modō tacti erant. Nam Augustae Vindelicum vespere diei 21ⁱ m. Febr. a. 1919^o - eodem die, quo Monaci Curtius Eisner interfectus est - vulgus excitatum palatium episcopi Augustani Maximiliani von Lingg invasisit eo scopo, ut episcopus caperetur atque caedes Curtii Eisner vindicaretur.

³⁷ Cfr Frumentius RENNERT: Mutterabtei Sankt Ottilien und Entfaltung der Kongregation. In: Leuchter II (21992), pp. 26 sq.; Johannes MAHR: «Sein Reich ist zunächst auf dieser Welt». Erzabt Norbert Weber als Organisator Benediktinischer Missionsarbeit. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 140.

³⁸ Ut Frumentius RENNERT: Entfaltung. In: Leuchter II (21992), p. 27 et Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 140 commemorant, die 26^o m. Dec. a. 1918^o aliquis ignotus in portā monasterii versūs inscripsit hos: «Terrae Bavaricae maximum dedecus / est Sanctae Ottiliae niger coetus.» [*«Des Bayernlandes größte Schande ist St. Ottiliens schwarze Bande.»*]. Quae verba ab monachis scilicet non ut iocus percipiebantur. - Praeterea videtur rumor ab actis diurnis quibusdam instigatus exortus esse, quo dicebatur archiabbatem Norbertum Weber contra milites, qui in bello pugnaverant, praedicavisse. Talia, si quis credidisset, periculosa fieri potuissent. - Tamen etiam ex hōc exemplō apparet, quomodo ex nuntiis falsis, quos homines, qui conexūs nesciunt vel veras condiciones consulto neglegunt, proferunt, difficultates magnae exoriri possint. Nam non est verisimile Norbertum Weber contra milites praedicavisse, cum multi eius Fratres conversi ipsi in bello pugnavissent.

³⁹ Cfr Frumentius RENNERT: Entfaltung. In: Leuchter II (21992), p. 27; Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 140. - Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, p. 133 commemorat Norbertum Weber monachis sclopeta distribuenda curavisse, ut «rubros», qui monasterium iamiam invasuros esse putati sunt, arcerent.

Invasores tamen episcopum non invenerunt, quia eidem aliis auxiliantibus interea contigerat, ut aufugeret atque in Vincentinum in propinquo situm se reciperet. Episcopo ipso non invento domus episcopalis intrinsecus demolita est atque multae res furto ablatae sunt. Tamen res nondum erat finita, cum paucis diebus post detegeretur, ubi episcopus se absconderet. Sed antequam vulgus excitatum etiam hoc aedificium invadere valuit, episcopus Maximilianus von Lingg ab adiutoribus arcerā adhibitā ablati et servati est. Sed quo tunc aufugit? In archiabbatiam Ottiliensem. Ibīdem Maximilianus von Lingg eventibus perterritus per duos menses se occultavit, antequam mense Aprili condicionibus politicis iam mutatis Augustam Vindelicum reverti potuit.⁴⁰

In monasterio imprimis spartacistae, qui ad extremam partem politicam sinistram pertinebant, timebantur. Itaque multi monachi iterum iterumque rumoribus, qui deinde saepe sine fundamento fuisse manifestabantur, territi sunt.⁴¹ Alterā ex parte multi quōque monachi condiciones animo tranquilliore percepisse videntur. Itaque, cum mense Aprili a. 1919ⁱ archiabbas monachos suos adhortatus esset, ut «copiis albis» se adiungerent, nullum effectum vere

⁴⁰ De his rebus *cf.* imprimis Engelbert M. BUXBAUM: Maximilian v. Lingg 1842-1930. Leben und Wirken eines Bischofs nach eigenen und zeitgenössischen Dokumenten. St. Ottilien 1981, pp. 49, 181 sq., ubi documenta quōque epistularia exhibentur, quibus eventūs singillatim narrantur. - Etiam Frumentius RENNERT: Entfaltung. *In*: Leuchter II (²1992), p. 27; Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 142 rem ipsam breviter commemorant.

⁴¹ *Cf.* ex. gr. Chron. Ott. m. Mart. a. 1919, ubi (paululum ironice) legitur auditum esse spartacistas ex vicis Pflaumdorf atque Windach unā cum aliis archiabbatiam Ottiliensem aggredi atque populari velle, eos tamen ducem nondum invenisse, quā de causā usque ad illud temporis momentum nihil factum esset.

Cf. Chron. Ottil. die 23 m. Apr. a. 1919, ubi legitur nuntium ex improvise allatum esse spartacistas iam in oppido Türkenfeld versari, sed deinde manifestatum esse hanc sententiam fuisse falsam.

Tamen videtur quaedam actio «civilis militiae Ottiliensis» facta esse, cum mense Martio a. 1919ⁱ monachi in statione ferroviariā Geltendorfiensi tramen quoddam iterum Monacum reverti coegerunt, in quo praeter vectores «normales» etiam multos assecras eversionis inesse putaverunt, qui monasterium aggredi in animo haberent. - *Cf.* Frumentius RENNERT: Entfaltung. *In*: Leuchter II (²1992), p. 27. Godfrey SIEBER: Congregation (1992), p. 133, sine indicio temporis atque conexūs solum generaliter refert homines «politice rubros» ab impetu monasterii abstinuisse, cum animadverterent sibi resistentiam exspectandam esse.

magnum habuit.⁴²

Paene per unum annum, usque dum condiciones politicae iterum magnā ex parte stabilitae erant, non solum tota Bavaria, sed etiam archiabbatia his rebus eventibusque agitabantur. Tamen etiam illo anno quaestiones specialiter monasteriales atque missionariae, quae erant magni momenti, erant respiciendae, tractandae, solvendae.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 194, 2013, pp. 531-544]

⁴² *Cfr* Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.), p. 142, qui scribit solum duos Fratres clericos et quattuor Fratres conversos ad participandum paratos fuisse. - Frumentius RENNERT: Entfaltung. In: Leuchter II (2019), p. 27, qui tamen putat Norbertum Weber condiciones melius intellexisse atque periculum melius perspectum habuisse quam plerosque monachos.